

necessario excludit Deum sed demeritorie tantum. Facile enim esset Deo adhuc rimas invenire, per quas illuminare illum posset: id vero ut non faciat, merentur hominis illius peccata præterita. Unde prima et directa causa excæcationis suæ est ipse homo. Secunda et indirecta est Deus, dum in pœnam contumaciæ subtrahit ei lumen id, quod poterat communicare. Hac ratione, qui sub concione componunt se ad somnum aut alias cogitationes, ne verbum Dei audire cogantur, merentur ut non excitentur, ve ut non intelligant, cum quid ad salutem eorum necessarium proponitur, quia fenestras lumini claudunt.

VI. Cur dæmones vocantur volucres cæli? Resp. primo, quia maximo numero habitant in aere, licet usque ad diem iudicii solum. Unde ad Eph. II. *Principes potestatis aeris hujus vocantur*, etc. id est, *principes tenebrarum harum et spiritualia nequitiae in caelestibus*, id est, in aere. *Non est nobis colluctatio, ait, adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus.* Ubi in paucis verbis habes eorum naturam, quia spiritus; speciem, quia invisibiles; indolem quia nequissimi, ipsæque nequitiae; potestatem, quia mundi rectores; fraudem, quia principes tenebrarum; locum, quia ex aere nos invadunt. Merito ergo subdit: *Propterea accipite armaturam Dei ut possitis resistere in die malo.*

Secundo, quia velocissime in nostram perniciem volant, et nostræ perditionis gratia perambulant ac circumveunt terram, ut ille Job I. Non tam cito congregantur corvi ad cadaver, quam cito conveniunt dæmones ad nocendum homini, cum vident eum sui negligentem.

Tertio, quia voraces et insatiabiles, semper circumveunt quærentes quem devorent: sicut aves semper quærunt grana, quæ de agris tollant, maxime selecta ut columbæ: patula item et quæ emicant. Curet igitur latere, qui non vult devorari; latere inquam per humilitatem, quia sola hæc evadit laqueos diaboli, uti aliquando S. Antonio dictum a Deo, cum orbem totum aspexisset laqueis plenum et quæsisset: Quis evadet istos laqueos? S. Martinus videns aliquando mergulos in flumine piscari et rapacem ingluviem assiduè urgere capturas, ait ad discipulos suos: *Forma hæc dæmonum est, qui insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturari non queunt devoratis*, Sulpit. in vita.

Quarto, quia ut volucres devorata grana diu conservant et circumferunt in stomacho: sic etiam dæmones conservant in memoria partim

verba Dei, quæ nos excidere passi sumus, partim peccata nostra usque ad extremum diem ut ibi nos accusent: unde a Matthæo hic vocatur malus, a Marco Satan, id est, adversarius, a Luca diabolus, id est, calumniator.

VII. Quæ est terra bona? Resp. esse cor, a terrenis affectibus et perturbationibus vacuum atque liberum. Qui tale cor habent, primo, verbum audiunt in corde bono et optimo, id est, in corde meliori vel meliori, quia pro bonitate cujusque melior et melior prodibit fructus; quo enim purius est cor audientis ab omni inordinato affectu, quo melioris voluntatis, etc. eo majore fructu audiet verbum Dei. Bonum cor movetur ad præcepta servanda: optimum ad consilia etiam et multa, quæ non sunt præcepta. Bonum cor movetur ad peccata relinquenda: optimum etiam ad multa bona patranda. Bonum cor movetur timore gehennæ: optimum vero virtutis et Dei amore.

Secundo, verbum retinent, in corde suo abscondunt et domi per hebdomadam ruminant, sibi que tamquam regulam proponunt imitandum. Absque hoc nihil prodesset, recepisse verbum Dei, sicut nec sumpsisse cibum, qui revomitur. Unde S. Gregor. homil. XV. quæ est super hodiernum evangelium ait: « Verba Domini, quæ aure percipitis, mente retinete. Cibus enim mentis est sermo Dei: et quasi acceptus cibus stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur. Æternæ igitur mortis periculum formidate, etc. »

Tertio, fructum afferunt et primo, ascendentem et crescentem, inquit S. Marcus. Debet enim fructus honorum operum primo, ascendere ad Dei gloriam, non jacere in terra ut cucumeres, hoc est, non fieri ad temporalem finem. Secundo, debet crescere, augeri et perfectior fieri. Non autem tantum aut alterum vitium deponendum, sed paulatim omnia; non una tantum virtus, sed omnes addiscendæ.

Secundo, aliud semen fert tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, hoc est, alius minorem, alius majorem. Quemadmodum enim hi, qui singulas accepere mnas, diversimode negotiati sunt; alius enim lucratus est quinque, alius decem mnas, Luc. XIX. sic fit cum verbo Dei. Aliqui hoc ad status applicant. S. August. lib. I. quæst. evang. centesimum martyribus, sexagesimum virginibus, tricesimum conjugatis tribuit. S. Hieronymus, l. I. contra Jovin. centesimum virginibus, sexagesimum viduis, tricesimum conjugatis. Theophylactus centesimum

anachoretis, sexagesimum cœnobitis, tricesimum conjugatis et laicis. Alii centesimum perfectis, sexagesimum proficientibus, tricesimum incipientibus.

Tertio, fructum afferunt in patientia, ait Lucas. Quemadmodum enim sementis multas sustinere tempestates debet antequam maturæscat; ita et via justi ex semine verbi divini prognata plurimis tentationibus obnoxia est. « Sic à va calcibus tunditur (ait S. Gregorius super hunc locum)

ut in vini saporem liquatur. Sic oliva contusionibus expressa amurcam suam deserit et in olei liquorem pinguescit. Sic per trituram aræ, a paleis grana separantur et ad horreum purgata perveniunt. Quisquis ergo appetit plene vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare, ut tanto post ad iudicem mundior veniat, quanto nunc ejus rubiginem ignis tribulationis purgat. » Hæc Gregorius.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUOMODO, ET QUAE RATIONE DÆMONES COMEDANT VERBUM DEI.

- I. Quando homines negligunt male. — II. Quando præsentibus ad concionem non attendunt. — III. Quando in concione sola oblectamenta quæruntur. — IV. Quando auribus quidem audiunt, sed corde non apprehendunt. — V. Quando verbi Dei auditum iterum obliviscuntur.

THEMA.

Aliud cecidit secus viam, et volucres cæli comederunt illud. Luc. VIII.

Inter alia mira et paradoxa hujus parabolæ, illud etiam censendum esse videtur, quod ait Dominus, volucres cæli, h. e. dæmones (ut ipse explicat) venire et rapere semen verbi Dei, quod secus viam cecidit. Quid enim, dicit aliquis, diabolus cum verbo Dei? Quid verbo Dei cum diabolo? Quid hoc illum juvat? Nonne id execratur cane pejus et angue? Ad hoc ut respondeamus, revocemus in memoriam, quod alias dixisse me memini ex S. Gregorio Turonensi, de gloria conf. cap. ult. de mercatore quodam Gallo, qui navigans in Arari flumine deposuerat marsupium suum forte in proram navis, pelle phœnicea coopertum, et quasi securo loco neglectum. Quod ex alto conspicatus milvus, leporem, aut quid simile ratus, id arripuit, ubi tamen nihil pinguedinis, aut alimenti in eo deprehendit in flumen deiecit. Hic modus, hæc ratio est, qua semen verbi Dei rapit diabolus. Videt id a multis negligi, et procul a tergo reponi; itaque ipse rapit, quia pretiosus esse novit, non sibi, sed hominibus. Nihil illa dives bursa profuit milvo rapta, obfuit tamen plurimum mercatori abrepta. Neque dæmonem juvat devoratum Dei verbum, nobis

autem ereptum maxima damna infert. Satis est hoc diabolo, si nos spoliavit cœlesti thesauro. Ergo auditores, attendendum nobis est, ne pretiosum illud semen secus viam cordis nostri cadere patiamur, ubi id stygius ille milvus devoret in malum nostrum. Qui vero istud acitent multi male cauti Christiani, audiamus.

I. Quando homines ex contemptu, vel mera negligentia aliis negotiis, non necessariis detenti, conciones negligunt. Quod ut fiat, omnibus modis allaborant dæmones, et imitantur in hoc pessimum illud Jeroboam, qui cum a decem tribubus, quæ discesserant a Roboam, electus esset in regem, et regnum sibi stabiliret, erexit aureos vitulos in Judææ finibus, unum in Dan, alterum in Bethel, quo nimirum populum avocaret a templo Jerosolymitano, quod erat in potestate Roboami. Eo enim si pergeret populus, facile rursus, seu amore templi, seu sacerdotum monitis retrahi poterat ad Roboamum, priorem et legitimum regem suum. Ergo duas aras cum vitulis erexit in locis illis, quæ leviori molestia, utpote vicina, poterant adiri, notat enim difficile esse populo ter in anno ascendere Jerosolymam quantocumque spatio distarent. Et certe stultus ille populus, non attendens, quam graviter puniti fuerint ejus majores in deserto ob adoratum vitulum, seduci se permisit, et a templo, Deique cultu abduci, III. Reg. XII. Jeroboam exponitur *impugnans populum*, et dæmonem representat, qui populum Christo alioquin subjectum impugnare, et evertere non desinit. Is ergo velut capitalis Christi hostis et rex impiorum, ut populum Christi ad se trahat, aut pertractum fortius sibi subiciat, et a Christo abalienet, hoc potissimum molitur, ut a templo in quo Dei verbum docetur, retrahat et avertat: sciens quanta vis sit verbi divini ad revocandum a peccatis populum.

Erigit igitur vitulos aureos, hoc est, objicit varia impedimenta, itinera, negotiationes, curas domesticas: proponit difficultates primo, mane surgendi, tam procul ad templum eundi, rei divinæ et concionis prolixitatem, aliaque innumera. Sic efficit, ut semen verbi divini secus viam cadat, dum non auditur, interim id ipse colligit, et quodammodo devorat, retinendo in memoria ut suo tempore depromat ad eos accusandos et perdendos, quos astu suo seduxit. Hinc fit, ut quemadmodum decem tribus Hebræorum pergebant ad vitulos, et vix duæ ibant ad templum et Dei verum cultum: sic etiam ad Dei verbum audiendum vix quinta fidelium pars (atque utinam vel quinta) veniat in templum. Contingit itaque verbi Dei præconibus sæpius id, quod citharædo illi Jassio, apud Strab. lib. XIV. qui dum cithara sua populum in foro demulceret, tantisper auditus est, donec tintinnabulo signum venditionis piscium daretur: eo audito universi ad negotiationem piscium discesserunt, uno excepto surdastro, qui tintinnabulum non audierat. Clamant prædicatores, et campanæ pulsu convocant fideles ad citharam verbi Dei, sed vicissim diabolus pulsat tintinnabulum suum, et evocat homines ad alias sæculares negotiationes, voluptates, curas et corporis commoditates: et en plerique omnes præconem hunc sequuntur, ipsique obsecundant, relicto concionatore et cithara verbi divini. Pauci aliqui, et fere simpliciores, atque ex illis utinam non surdastri multi, audiunt concionem. Verum quemadmodum neglectus ille templi, et vitulorum cultus causa fuit Judæis, cur postea vastarentur, et abducerentur in Babylonem, uti fateatur Joseph. l. VII. antiq. cap. III. ita metuendum Christianis, ne et ipsi aliquando ob neglectum verbi Dei in manus hostium tradantur.

II. Quando præsentibus sub concione somno sopiti, aut alias distracti non attendunt. Naaman ille Syrus princeps, sanatus jam a lepra et ad Deum verum conversus, reversurus in Syriam, onus terræ sacræ, quantum duo burdones ferre possent, ex Israel secum, abstulit, sive ut inde altare strueret, sive ut eam in idolorum templo, et loco stationis suæ, quando regi minister adesse debebat, sibi substerneret; quo mentem ab idolis ad Deum Israel avocaret, et sibi videretur esse non in execrando Syrorum solo, aut in eo sacrificare, sed in religioso, et sacro electi a Deo populi, ut ait P. Sanctius, in c. V. l. IV. Reg. Præclaram hanc industriam invertunt hoc tempore depravati homines: quia enim pudoris causa templum, Deique verbum fugere prorsus nequeunt, secum in templum terram profanam, quantum duo muli ferre possunt, ut iis insis-

tendo, mentem a concione ad profana studia avocent, cogitentque se non esse in templo Dei et sub concione, sed domi in cellario vel convivio, aut foris in prædio, in suo thesauro, choreis aut sphaeristerio: vel dormiunt, aut occupant se colloquiis, lectione, vel imaginum lustratione; nugantur cum catellis, quos inferunt in templum, vel legunt epistolia, aut quæ scribuntur nova. Hæc sunt terra illa, nugæ, inquam, et curæ profanæ ac terrenæ, quas inferunt in templum duo muli, mundus scilicet et caro. Ille curas sæculares, hæc nugæ et curiositates affert. Cum e contra pii fideles templum adituri, asinos istos foris relinquunt, quemadmodum docuit Abraham ascensus in montem ad sacrificandum, quando dixit famulis ad radicem montis: *Expectate hic cum asino*, Gen. XXII. His accedunt dæmones, qui præterea varia eis objecta proponunt, quibus distraherentur, cuncti strepitus et garritus, seros aliorum ingressus, quibus auditores impediuntur, quominus concionem audiant. Imitari mihi videntur in hoc sacrificulos Ammonitarum, qui dum infantes cremarent, et sacrificarent idolo Moloch, interim tympanum pulsabant in tophet, (quod ideoreo a toph, hoc est, tympano sic appellatum) ne ustorum ejulatus parentes exaudirent, adeoque ab immani sacrificio abhorrent ac cessarent, ut docet cum Lyrano et Hebræis Cornelius, in cap. VII. Jeremiæ, et alibi cum aliis passim. Ita nimirum diabolus, ne peccatores in concione audiant perstringi suos infelices fetus, vitia et scelera, indeque ad poenitentiam et lacrymas commoti resipiscant, et abhorreant a peccando, quid agit? Excitat in animis eorum, aliarum sæcularium cogitationum strepitus, obtundit sensus somno, et evagationibus, distrahit fabulis et nugis. Hoc vero quid aliud est, quam devorare semen bonum, quod non in aures hominum, sed secus viam cecidit? Aliis sub concione somnus obrepit, interim semen verbi Dei, quia secus viam cadit, a volucris stygiis rapitur: contingitque illis, quod illi tabellario, qui ex Sicilia missus in Italiam ad Dionysium Siciliæ regem fuit, ut revocaret regem ad tutandum ab invasore regnum suum. Is enim quia carnem pro viatico emptam peræque suæ alligatam, in via paulum dormiturus seposuit, lupus odoratus carnem, ipso dormiente abstulit una cum pera, cui inclusæ erant litteræ regi ferendæ. Sic ipse carnem sibi, et regi suo regnum perdidit, Plut. in Dione. Plane in hunc modum, quando tu dormis, neglectis iis, quæ in concione dicuntur, adsunt volucres illæ, et rapiunt verbum Dei, quibus annexa est Dei epistola, nuntians tibi salutem suam.

III. Quando ex concione ea tantum notantur et quærentur, quæ animum oblectant, non quæ ædificant. Hi enim corticem nucum aut pomorum mirantur et comedunt, nucleum abijciunt, quem proinde colligit et comedit diabolus. Similes hi sunt militi cuidam gregario, qui sub Maximiano imp. militans, occupato quodam Persarum vallo, in spoliis direptione scutum repetit Parthicum, in quo feriatim collucescens visebantur margaritæ. Ipse vero per rei inscitiam gemmis abjectis, solo abiit pellis nitore contentus, Cælius Rhodiginus, l. XIX. c. I. A. L. Similiter cum Helvetij, anno 1476. Carolum Burgundum ad Granceium castris exuissent, unus inter optimam ducis centum millia aureorum supellectilem, reperit carbunculum eximie magnitudinis, quem lapilli splendore delectatus sustulit, et cuidam peregrino pro medio floreno concessit, Beirl. in teatro. Nihil aliud faciunt, qui ex concione non nisi ea retinent, quæ ad delectationem faciunt, non ad profectum. Gemmas enim abijciunt, et nitens scuti corium sibi reservant. Doctrinæ concionatorum gemmæ sunt, quæ cum quodam orationis ornatu quasi in pelle nitida variis coloribus ornata proponuntur, ad fastidium pellendum, et auditorem alliciendum. Non simus velut illi, qui cum corruptum cupediis stomachum habeant, nauseant solidos cibos, et sola appetunt bellaria et condimenta. Signum enim id est hominis carnalis et secundum spiritum corrupti. De talibus dicitur Psalm. CVI. *Omnes escam abominata est anima eorum: appropinquaverunt usque ad portas mortis.*

IV. Quando audiunt et attendunt quidem, sed quæ dicuntur corde non apprehendunt: audiunt ex consuetudine, vel quia aliud quod agant, non habent; putantque satis esse, quod interfuerint concioni, quocumque tandem eventu. Hi semen verbi Dei in superficie, non in corde terræ recipiunt; unde nigrae illæ volucres facile id deprehendunt atque devorant. Hac ratione dicitur Deus, Numerorum XXIII. posuisse in ore Balaam, mali illius prophætæ, verbum illud *Revertere ad Balac et hæc loqueris*. At cur non potius dicitur posuisse in ejus corde? Respondet Orig. optime, homilia. XIV. in Numer.: *Quoniam, inquit, in corde ejus mercedis desiderium erat et cupiditas pecuniæ: verbum Dei non in corde, sed in ore ejus ponitur*. Placuit supra modum huic prophætæ populus Hebræorum a Balac ipsi ostensus, ita ut satis mirari non posset, et exclamaret: *Quam pulchra tabernacula tua Jacob, etc.* Num. XXIV. peteret etiam cum illis mori: *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia*, Num. XXIII. Interim tamen

non curavit emendare malignitatem et avaritiam suam, qua captus et illaqueatus jam tunc promisit Balaco daturum se ei consilium contra Hebræos, promisso exæcatus munere. Ita nimirum multi Christiani, qui vivunt in concubinato, odiis, ebriositate, detentione alienorum bonorum, cum veniunt ad concionem, moventur non nihil et mirantur Dei verbum, sapientiam, bonitatem, longanimitatem, etc. ipsumque concionatorem: desiderant etiam tales esse, quales prædicat et sequendos proponit Ecclesiastes: mox tamen a concione repetunt eadem studia sua, redeuntque ad antiqua stabula. Cujusmodi homines in typo quodam videtur aspexisse cæcus ille nondum plene illuminatus, quando ait: *Video homines velut arbores ambulantes*, Marc. VIII. Quomodo ambulant arbores? Certe non secundum radicem, qua semper fixæ hærent: sed ambulant parumper, aut saltem ambulare videntur, secundum apicem, quando a vento agitantur.

Hoc modo ambulant hi de quibus dixi. Agitant caput in concione, quasi admirabundi eum Balaamo, necnon ad conversionem jam dispositi. Sed quia radices in suis vitiis nimis altæ egerunt, adeoque affixæ hærent, ideo nec passim unum discedunt a priorè vita. Patuit in Nabuchodonosore, ejusque filio Balhasare, quibus Daniel imminentem cladem ex Dei ore prædixit, et somnia exposuit. Ipsi tamen licet admirati et Danielem remunerati, nihil tamen emendati sunt. Audiunt conciones, sicut multi audiunt musicam in templo; non ut inde ad devotionem et desiderium cœlestis patriæ, reive divinæ venerationem accendantur, (qui tamen fines illius symphonie sunt) sed ut aures recreent. Laudant igitur voces cantantium, laudant cantandi artem, ipsasque cantiones docte et suaviter compositas: nihil tamen inde fructus pro anima sua reportant. Testatur id ipse Deus ad Ezech. de ipsius concionibus, c. XXXII. dicens: *Erat eis quasi cæmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur: et audunt verba tua et non faciunt ea: quasi diceret: Audiunt te voluptatis et delectationis ergo, non doctrinæ, ut vitam corrigant: quasi audirent te seite pulsantem instrumentum musicum, solo concentu delectati, ut exponit ibi Cornelius.*

V. Quando Dei verbum corde quidem exceperunt, mox tamen obliviscuntur. Angelus B. Arsenio eremicolæ demonstratus opera hominum, inter alia hausit aquam in canale perforatum: quæ ex altera canalis parte continue effluxit, ut est in ejus vita, apud Sur. 19. jun. Id vero ubi magis contingit, quam in verbi De-

auditoribus, quando id per unam aurem influit, et per alteram effluit? Arguit ea oblivio contemptum aliquem Dei verbi, aut non magnam saltem aestimationem; quid mirum ergo, si id Satan colligat, et velut neglectum devoret? Vas confractum nec liquorem retinet, nec sonum nisi hiulcum et ingratum edit: unde abjicitur et confringitur. Hujusmodi est obliviosus rerum divinarum. Nam *cor fatui quasi vas confractum, omnem sapientiam non tenebit*, ait Eccles. c. XXI. Chartæ irasci solemus, si vel minima sui parte perflua sit, et non irascetur nobis Deus, si undique perfusi, nullam prorsus sapientiam infusam retineamus? Hebræi suæ legis præcepta non scribunt in charta, quæ vel unum foramen habet, ut testatur Oleaster, in c. XIII. Exodi, et quid unum chartæ foramen ad hominem rimarum plenum, qui nihil fere omnino retinet ex verbo Dei, sibi per concionatorem inscripto? Habent ergo merito cur tales sibi timeant, ob tam culpabilem jacturam verbi divini. Neque vero in hoc possumus accusare diabolum, quia ut S. Chrys. hom. XXXI. op. imperf. in hod. evang. ait: « Ille latro est, qui parietem perforat, in secreta domus parte ingreditur: qui autem invenit foris impositum et projectum, quomodo quasi latro culpetur? Sic et diabolus, si poterat introire in secreta pectoris tui, et a te nolente raperet verbum, bene culparetur, nunc autem quod a te neglectum est et contemptum, hoc ille diripit. » Vicissim vero ipse accusabit justissime eos, qui verbum Dei spreverunt. Suo enim tempore, cum te judicandum accusabit, depromet e suo gutture omnia illa semina, quæ tu neglexisti, ut te illis jugulet; et propterea adest in concione cum plurima sua cohorte ut colligat, quæ tu negligis. Præter Christi Domini certissimum testimonium, audiamus Barth. Faium, regium consiliarium, in suo energum. et Alexiaco, apud Timot. Breidenbachium, lib. VII. cap. XXXVI. qui scribit dæmonem ex matrona Nicola, adactum exorcismis episcopi Laudunensis, postquam in præsentia quatuor millia circiter hominum plurima arcana prodidisset, et multorum nomina et conditiones edixisset, cuidam adstantium magna voce exclamando dixisse, ipsum jam trigesimum interfuisse concioni Calvinisticæ, quæ paulo ante Crespii Laudunensium fuerat habita. Nec is diffitebatur, sed addebat sibi adfuisse quemdam viridi vestitu ignotum. Cui dæmon: *Ego ille fui*. Itaque adsunt etiam dæmones concioni, nec solum adsunt, sed numerant etiam, quot conciones frequentemus, et quot negligamus: *procul dubio etiam quo modo attendamus, ut hæc omnia suo tempore depromant coram iudice nostro*

Christo, ac nisi nos emendaverimus, evoment hi milvi conciones, quas devorarunt, una cum vanis auditoribus in locum horroris, et vastæ solitudinis; quod a nobis avertat Deus.

CONCIO II.

QUI CONCALCENT DEI VERBUM.

I. Conculcent avari. — II. Libidinosi. — III. Scioli et nasuti. — IV. Magnates fere et potentes. — V. Increduli.

THEMA.

Aliud cecidit secus viam, et conculcatum est
Luc. VIII.

Quid audimus in hodierno evangelio? Semen bonum, quod multiplicem fructum in agro facere debebat, pedibus conculcatum esse. Quid minus habet semen, quam ipse panis? Et nonne hanc reverentiam panis habemus, ut si vel mica in terram cadat, eam colligamus, et vero osculemur aut comedamus, ne pedibus forte casu ab aliquo calcetur? Quid igitur si quis studio et dedita opera panem conculcasset? Nonne indignaremur? At vero semen verbi Dei millies adhuc præstantius est semine, vel pane materiali. Et erit aliquis tam perfretæ frontis ut pedibus id calcare audeat? Quare ego non hominum, sed bestiarum tantum pedibus conculcari posse hoc semen puto. Quemadmodum enim Jacob patriarcha, cum vidit sanguinolentam Joseph filii sui vestem, mactati filii indicem, non poterat sibi ulla ratione persuadere, quod fratres aliive homines innocentissimum et gratiosissimum puerum mactassent; sed: *Fera pessima*, inquit, *comedit eum, bestia devoravit Joseph*, Gen. XXXVII. Pari modo ego credere vix possum reperiri homines, qui conculcent Dei verbum, omni acceptatione dignissimum. Bestiæ igitur esse debent, qui id faciunt. Quod ut elarius videatis, eas nunc describam.

I. Conculcent id avari, qui cum se Deum quasi omnipotentem in arca possidere existiment, spernunt omnes inferni minas et felicitatem cæli, quæ de futuro eis promittitur. Non enim attolunt oculos ad cælum, sed proni semper in terram, et terrena aspiciunt instar porcorum, qui rostro terræ affixo rimantur sordes et latrinas: ac si casu forte ad cælum sursum aspiciant, admirabundi hærent (quomodo et divites, si quid aliquando de cælo audiunt) moxque ad suum pabulum inquirendum redeunt. Hinc Dominus, Matth. VII. dixit discipulis suis: *Ne mittatis mar-*

garitas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus, et conversi dirumpant vos. Margaritæ sunt doctrinæ evang. contentæ in ore concionatoris, latentes in mari s. Scripturæ: quarum pretium non agnoscunt divites, quia suas opes longe eis præferunt; unde spernunt et derident verbum Dei adeoque conculcant, juxta id Sap. Prov. XXVII. *Anima saturata calcabit favum*. Qui saturatus est rusticanis cibis, repudiabit etiam regias dapes. E contra *anima esuriens* (addit Sap. ibidem) *etiam amarum pro dulci sumet*. Hinc Hebræis sitientibus ita sapuit aqua de petra, quasi esset mel, unde dicuntur *suxisse mel de petra*: quibus tamen saturatis dulcissimum manna desipuit. Tales erant Pharisæi illi, Luc. XVI. qui Christum de eleemosyna et avaritia disserentem contracto naso subsannabant, ut explicat vox Græca, ubi Lat. noster textus habet: *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari et deridebant eum*. Unde subjicit Christus mox historiam epulonis, qui rogans pro quinque fratribus suis, ut mitteretur ad eos Lazarus, audit: *Habent Moysen et prophetas*.

II. Libidinosi, qui de turpitudine sua sibi conscii fugiunt Dei verbum, ne in ipso velut in speculo suam fœditatem intueri cogantur. Habent hoc animalia quædam horridi vultus, ut respuant bibere ex aqua limpida, ne faciei suæ deformitatem in ea conspiciant: quare pedibus eam calcando turbidam et limosam reddunt, uti elephantes, apud Ælian. l. XVII. c. VII. de animal: et camelus, apud Plin. l. VIII. c. XVIII. videt enim hic in limpida aures suas truncas, collum recurvum, et gibbum deformem; elephas vero capitis sui calvitiam, aurium vastitatem, pedum crassitiam, cutem depilatam, etc. Idem agunt vitiosi, calcant Dei verbum ac contemnunt, quia in eo si se inspicerent fœditatem suam cernerent. Fuit hujusmodi camelus Herodes, qui in cæteris quæ ipsius turpitudinem et libidinem non tangebant, libenter audiebat Joannem, et multa faciebat; at ubi ipsius vulnus tactum a Joanne fuit, ibi jam non modo aures suas, sed etiam Joanni os oclusit, misitque eum in carcerem. Dicebat, opinor, Joannes Herodi: Serenissime rex, in tali et tali domo conveniunt potatores et lusores qui rem domesticam filiis decoquunt, turgia cient, inebriantur, blasphemant. Mox Herodes: Bene mones, corripiam illos, et non fiet amplius. In alia domo aluntur scorta, quæ seducunt Hebræos: Bene inquit, diruam lupanar. In carceribus detinentur aliqui innocentes, quorum causa non examinatur, sed differtur: jube eos expediri. Mox Herodes: Fiat, sicut mones. At vero tu etiam rex pessimo exemplo rep. pervertis, detinendo

uxorem fratris tui. Hic Rex: Tace de hac re, ne loquaris amplius. Apage in vineula, et temeritatis pœnas lue. Hic nimirum fuit lapis Herodis in quo semen aruit: hoc uleus, quod medicum suum repulit; quomodo equi sauciati, in aliis quidem corporis partibus palpari se patiuntur, at ubi in membro, vel parte saucia tanguntur, ibi calcibus ferire incipiunt tangentem se chirurgum. Sed quam sibi male consulunt? Quid enim si chirurgum pellat, qui ad mortem saucius est? Quid nisi mortem quærit?

III. Scioli et nasuti, qui videntur sibi satis per se sapere, et viam cæli callere: unde raro audiunt conciones. Tales etiam legisperiti et Pharisæi, qui soli Joannis Baptistæ concionem spreverunt, et baptismum respuerunt; cum turbæ, publicani et milites ad eum venirent consilium ab eo peterent, et baptismum acciperent, Luc. III. Ita enim id Luc. VII. ait: *Omnis populus audiens (Joannem scilicet) et publicani justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis, Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipso, non baptizati ab eo*. Venerunt quidem et Pharisæi illi qui ac Sadducæi ad Joannem ut baptismum ejus, vel fiete susceperunt. Itaque spreverunt eum in semetipso, hoc est, in propriam condemnationem, dum ipsi cæteris oculatiores lucem aspernati sunt. Idem Christo fecerunt, unde dicunt Joan. VII. *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum aut ex Pharisæis?* Id ipsum videre postea fuit in philosophis et litteratis Atheniensibus, Epicuræis et Stoicis, qui Paulum prædicantem irridebant ac dicebant: *Quid vult semiverbius iste?* Quæ est avis contempta e genere graculorum. Vocant igitur eum graculum. Unde nulla in civitate pauciores convertit Paulus, quam Athenis, Act. XVII. Sed aliud est sapientia hujus sæculi, aliud sapientia Dei. At quemadmodum medici, quantumvis artis suæ periti, propriis infirmitatibus mederi non debent, sed alteri medico se subjicere: sic etiam eruditi et doctores non sibi ipsis sapere. Pisces multi licet in aquis nascuntur et innatent, præter suas tamen nativas quasi aquas, indigent cælesti aqua et pluviis, ut vivere possint, et nutriri, testo Arist. l. VIII. hist. animal. c. XIX. Igitur et sapientes, licet in sapientiæ aquis versentur et quasi innatent, sciunt tamen nihilominus cælestis sapientiæ aquis opus sibi esse. Unde Prov. XVIII. sapientum magister ait: *Auris sapientiam quærit doctrinam, et c. l. Audiens sapiens sapientior erit*. Non solum caput hominis aures habet, sed etiam cor illius. Quare si aures capitis non egent forte verbo Dei, qua scilicet jam sciunt, quid faciendum sit: certe egent aures cordis, ut nimirum